16

# TENTAMEN MEDICUM DE EPILEPSIA,

QUOD, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, Deo duce, & auſpice Dei-parâ, tueri conabitur,

*AUCTOR,*

FRANCISCUS-PHILIBERTUS SERDA, Belcarienſis, Diœceſis Alectenſis apud Occitanos, Artium Liberalium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ alumnus, die 30 menſis Aprilis anni 1774.

*Pro primâ Apollinari laureâ conſequendâ.*

MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

*M. DCC. LXXIV.*

# DISPUTATURI.

## *R. R. D. D. PROFESSORES REGII.*

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.

R. D. ANTONIUS GOUAN.

R. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

---

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus, Profeſſor Emeritus.*



AVUNCULO SUO DILECTISSIMO

*HAS STUDII MEDICI PRIMITIAS*

*IN ÆTERNUM AMORIS MONUMENTUM*

Dedicat, vovet, conſecrat;

*FRANCISCUS-PHILIBERTUS SERDA.*

# TENTAMEN MEDICUM
## *DE EPILEPSIA.*

EPILEPSIA variis nominibus indigitatur quorum enumerationi non immorabimur. Definiri ſolet perfecta ſenſuum omnium abolitio cum agitatione totius corporis vel quarumdam ejus partium convulſivâ. Idiopathica dicitur ſi cauſa mali hæreat in cerebro; quæ vero ortum ducit à ventriculo, utero, vel aliâ quâcunque parte ſympathica vocatur. Dividitur etiam in hæreditariam & congenitam, quæ ultima

ſpecies à quibuſdam in dubium revocatur. Periodicè recurrit epilepſia ; vel nullo ſervato ordine repetitis vicibus ægros corripit : ſæpè invadunt paroxiſmi ſomni tempore ; quidam epileptici tunc temporis tantùm inſultus experiuntur cujus rei non deſunt obſervationes inter quas notari meretur ea quam refet illuſt. *de Haën* (1) lunæ motibus auſcultat, undè morbum lunaticum veteres illam vocitaverint definita non eſt paroxiſmi duratio, intrà ſemihoræ quadrantem vulgò terminatur, attamen uſque ad plures horas ſeſe extendere & ultrà etiam aliquoties protelari obſervatione conſtat : nullo prægreſſo affectu invadit plerùmque, morbis aliis aliquando ſuccedit (2) catalepſi ſuccedaneam vidit *Wepferus* (3). Juvenem novit Clariſſ. *Tiſſot* qui alternis vicibus per decem & octo menſes epilepſiâ & ſurditate laboravit. Graviora mala etiam poſt ſe trahit morbus comitialis ut inferiùs patebit. Tanto ſymptomatum agmine ſtipatur epilepſia ut ea omnia quæ illam concomitantur enumerare ſuperfluum putamus : de præcipuis tantùm agere nobis eſt animus.

Plerique ægroti inopinato corripiuntur, quidam paroxiſmum præſagire poſſunt ut videbitur ſignis quæ recenſenda nobis veniunt.

Capitis gravitate dolet æger, ad ſomnum proclivis eſt, vertigines, aurium tinnitus experitur, colores purpurei vel nigri, ſcintillæ oculis obverſantur quod Epilepſiam idiopathicam denunciat. In ſympathicâ verò ſive ab internis, ſive ab exterioribus prodeat, pars cui inhæret malum prima afficitur, & perſentiſcit æger quaſi auram quæ paulatim aſcendens cerebrum impetit, tunc temporis ſubitò concidit.

Ineunte paroxiſmo ſenſibus omnibus orbatur & mirificè convellitur : dentibus ſtridet ita ut quandoque proſiliant (4) non ſine horrore recordor, ait *Vanſvieten*, quod coram viderim in tenerâ ſatis puella, dentium molarium fragmenta exiliiſſe cum impetu. Lingua aliquoties dilaceratur undè ſpuma quæ declinante paroxiſmo fluit, ſanguinolenta adeſt, maxilla inferior quandoque à ſuperiori tantâ vi abducitur ut luxetur antrorſum cujus phænomeni legitur hiſtoria apud virum jam laudatum. Involuntariè clamat, gemitus nec-non magnos ululatus edit. Inſciè fæces, urinas & ſemen reddit Epilepticus, & ex genitalibus mulierum interdùm ſanguis exprimitur. Initio paroxiſmi pulſum adeſſe celerem, parvum, in fine verò majorem ſed languidum ac tardiorem fieri obſervatur : in univerſum pulſus ſunt inordinati ut

(1) Rationes medendi tom. 2. p. 293.
(2) De morb. capit. p. 573. 578.
(3) Traité de l'Épilepſie p. 178.
(4) Comment. Tom. III. p. 397.

optimè monuit *Aretæus.* Reſpiratio in pleriſque eſt ferè ſuffocatoria quaſi in ſtrangulatis. Demùm pollice fortiter contracto, horrendis adeò motibus Exagitatur corpus ut validas diſtorſiones patiatur. Paroxiſmo finito obliviosi ſunt ægroti, & omnium quæ acta ſunt in inſultu immemores, laſſitudinem quandam experiuntur, nonnulli hebetes ac ſtupidi manent, alii verò refocillatis viribus vitam illibatâ ſanitate ducere pergunt quò uſque novus ſuperveniat paroxiſmus.

Innumeræ ſunt cauſæ quæ Epilepſiam excitare poſſunt, vel mediatè caput afficiunt, vel per conſenſum, uti jam diximus; inter priores annumerantur vaſa varicoſa, hydatides, ſeri extravaſatio, cerebrum malè conformatum, meningum oſſificatio, tabulæ cranii depreſſio, ictus capiti inflicti, & vulnera quòd rariùs accidit, notante Clariſſimo *Lamotte.* Plethora, excretionum ſuppreſſio, ut pedum, alarum ſudoris, hæmorroïdum... nec-non morbi cutanei retroceſſus morbum producere valent, ut evincetur hiſtoriâ ſequenti, mos invaluit Sueciæ puerorum caput aquâ frigidâ eluere dum tineâ laborent, quâ methodo retrocedit tinea, undè frequentior fit Epilepſia. Valdè conducunt animi pathemata ut ira, mærores & præcipuè terror quæ ultima cauſa ſæpiſſimè morbum generat ut plurimis confirmatur obſervationibus, non parum inferre poſſunt ſtudia nimia & meditatio profunda quod probat *Galenus* loquens de juvene grammatico qui in Epilepſiæ paroxiſmum incidebat quoties nimis vehementer doceret, vel cogitaret. Non omitti debet ebrioſitas quæ plures Epilepticos efficit. Cùm ſympathicè afficitur caput, illud pendet vel à ſaburra nidulante in primis viis, vel bili acerrimâ, aut vermibus. Dentitionis tempore facilè in Epilepſiam delabuntur pueri : huic etiam valdè obnoxiæ ſunt mulieres dum uterus patitur ſuppreſſis menſtruis vel difficilè erumpentibus, in graviditate & partu fiunt quandoquæ Epilepticæ. Magnus dolor, tendinis punctura & quicunque artuum affectus totidem ſunt cauſæ quæ Epilepſiam pariunt.

Prædictæ cauſæ non eundem effectum præſtarent, niſi priùs exiſteret quædam diatheſis Epileptica ſive aptitudo ad renovandos paroxiſmos, quæ totâ vitâ ſilere poſſe dicitur abſque ullo incommodo. Mutuo illarum influxu producitur paroxiſmus : quænam verò illius adeſt cauſa proxima ? Cognitu difficillima eſt ; quidam à nimiâ cerebri actione in nervos motorios, poteſtate ſentienti integrè abolitâ progerminari exiſtimant. Nonne pari jure aſſerere nobis liceret Principium Vitale perterritum & perturbatum cerebro vel nervis noxia expellere conari ? illud ſolertioribus dijudicandum relinquimus.

Ex ſuprà allatis facilè eluceſcet diagnoſis, in illâ ferendâ cautus attamen debet eſſe Medicus, notandum eſt enim ſceleſtos homines

Epilepticos ſe fingere ut adſtantium commiſerationem excitent, ne iis ludibrio fiant medentes, ſigna quæ verum morbum à ſimulato diſtinguere valent noſcere intereſt. Fraus facilè detegetur ſi pulſum tangendo cutis unguibus intercepta ſubitò & fortiter vellicetur, doloris percepti ſigna videbimus quod nequaquàm contingit in Epilepticis qui nihil perſentiſcunt. Minas, verbera etiam negligere non oportet ut reum confitentem habeamus: hoc ultimo auxilio juvenem puellam quæ morbum ſimulabat curavit Celeb. *Sauvage* (1), ignem manubus admovere expedit, illas quoque utere tentandum eſt, licèt exempla quædam doceant morbum hoc modo non ſemper prodire: reperitur enim (2) apud Haënium mulieris obſervatio quæ tres in manu aduſtionis fædas cicatrices habebat, quaſque adeò tranquille pertulerat, ut nemo de certitudine Epilepſiæ dubium moveret.

Epilepſia morbus eſt gravis, curatu difficilis, omnem enim artis opem haudrarò eludit. De ægris tamen non æquè citò deſperandum eſt ac fieri ſolet, & in genere morbum nimis infauſti ominis eſſe pronunciatur. Si omnem animi attentionem adhiberent Medici in Epilepticorum curatione, inquit *Vanſvietem*, fortè plures ſanarent, vel ſaltem ſolatium fere omnibus afferrent. Morbus comitialis in primo inſultu ægrum è medio tollit vel pluries renovatur, undè modò acutus nuncupari poteſt, modò inter chronicos affectus recenſeri debeat. *Hippocrates* ait Aph. VIII morbum hunc antè pubertatem ſæpè ſanari, nequaquàm verò ſi poſt 25 annum contingat (3). Hominem novit Illuſt. *Vanſvietem* qui hac ætate ob ſubitum & maximum terrorem Epilepticus coacit quique ad 80 ætatis annum cum hoc morbo luetatus fuit redeuntibus vario temporis intervallo paroxiſmis: licèt ut plurimùm ita eveniat, prædictum aphoriſmum veritati ſemper conſentaneum non eſſe docet experientia. Nonnulli Epilepſiam quæ ſupervenit tempore pubertatis elapſo curatu difficiliorem non eſſe contendunt, ejuſque prognoſim pro re natâ ſolùm variare debere autumant. Sæpè pubertate ſolvi vulgò dicitur cui ſententiæ nimis adhærent quidam Medici, juxtà Dominum *Tiſſot*, hâc ſpe innixos levibus remediis morbum oppugnare aſſerit, undè inveteraſcens curatu difficilior evadit. Infantibus ſæpè eſt lethalis Epilepſia, ſi tunc temporis correpti ultrà pubertatem adhuc afficiantur, minor ſalutis ſpes affulget, omninò nihilominùs exulabit, ſi in memoriam revocetur hiſtoria Leoniceni qui ab incunabulis uſque ad 30 annos Epilepticus ab hoc morbo liberatus

---

(1) Noſolog. method. claſſ. 4. Tom. III. p. 94.
(2) Ratio medendi Tom. II. p. 298.
(3) Comment. Tom. III. p. 393.

fuit, & illibatâ ſanitate ferè centenarius evaſit. Raro ſenes adoritur Epilepſia niſi morbum à pueritiâ contraxerint, contrarii verò unicum exemplum commemorat *Morgagni* (1). Nec-non duo alia refert *Tiſſot* (2). Periculoſa cenſetur in graviditate, quæ parturientes corripit reverti non ſolet. Epilepſiam ſympathicam idiopathica faciliùs curari nemo neſcit : hæc ultima nullam ferè ſanationem recipit. Febre quartanâ morbum comitialem ſolvi poſſe teſtatur *Hyppocrates*, firmiſſimè verò illud pronunciat *Riverius* (3). Si paroxiſmus ſit brevis, raro invadat, gravibuſque ſymptomatibus non ſtipetur, faciliùs profligatur Epilepſia, idem cenſendum eſt ſi ſit recens. Deſinit in apoplexiam, degenerat quoque in hemiplegiam, cæcitatem, morbo inveteraſcente animæ facultates ſenſim imminuuntur, & quandoque perfectè abolentur.

Methodus generalis præſcribi non poteſt in curatione epilepſiæ, nam ut eptimè monuit *Vanſvieten*, quod prodeſt uni nocet alteri quis igitur debet eſſe ſcopus medici ? Attentè & ſedulò cauſas inquirere oportet à quibus morbus oritur ut ad eas dirigatur medela undè patet quâm diverſimodè inſtituenda ſit. Sigillatim enumerando quæ unicuique ſpeciei conveniunt, in immenſum creſceret opella noſtra quam arctis limitibus coërcendam eſſe volumus : de quibuſdam tantùm diſſerere mens eſt & 1°. Quidem de epilepſia quæ à ventriculo ſobeleſcit agendum nobis erit : quoties ſaburrâ onerari, bili acerrimâ vellicari, aut inibi vermes hoſpitari indicium adeſt, ad emetica recurrendum eſt ; ſub hoc ſcopo inſervient tartarus ſtibiatus, radix ipecacuanhæ, & pro infantulis uſurpari poterit ſyrupus Glauberianus : vehementioribus utebantur veteres quæ deſerere ſatiùs eſt, vomitoria quandoque meliùs ſuccedunt ſi præmiſerit venæ ſectio in pede inſtituta omnibus ritè penſitatis vomitum provocare in muliere epileptica quamvis utero gereret non hæſitarunt celeberrimi *Vanſvieten* & *De Haën*, hâcque methodo ægrotam curaverunt abſque ullo fætus incommodo in hoc caſu pariter indicantur cathartica, illaque iterare neceſſe eſt dum fomes mali latet in inteſtinis & meſenterio ; pulverem cornachini multùm deprædicat *Tiſſot*, hocque ſolo remedio aliquoties repetito duas puellas ſanavit. Aquæ thermales calidæ ut Bellilucanæ v. g. Epilepticis prohiberi ſolent, nihilhominùs verò in hâc ſpecie conveniunt pluribuſque levamen afferunt. Purgantia cum anthelmonticis utiliter maritantur ſi debellanda ſit progenies verminoſa. Sub quo reſpectu adhibentue ſemen-

---

(1) De ſedibus & cauſis morborum p. 62.
(2) Traité de l'Épilepſie p. 220.
(3) Oper. med. p. 177.

contrà, mercurius dulcis & præcipuè radix Valerianæ ſylveſtris quæ majori efficatiâ gaudet in Epilepſia verminosâ, talem curavit *Heiſterus* ope corticis peruviani & mercurii crudi. (1).

Si morbus ab artu quodam affecto initium ſumat, ligaturâ averti poteſt paroxiſmus, verùm non eradicatur cauſa, in hoc caſu veſicatoriis, cauterio, utendum eſt; nervum penitùs deſtruere quandoque expedit, hujus conſilii utilitas comprobatur hiſtoriâ juvenis de quo loquitur meritiſſimus *Short* in actis Edimburgenſibus qui pernaci Epilepſiâ laborabat ob nodulum piſi formam referentem tibiæ nervo adhærentem, illius extractione & nervi ſectione illicò curatus fuit. Huc revocare poſſumus etiam obſervationem *Fabricii Hildani* qui puellam radicitùs ſanavit extrahendo globulum vitreum qui intrà ejus aurem admiſſus fuerat pedis digiti amputationem in quodam caſu mirè ſucceſſiſſe pariter relatum fuit. Hæc ſufficiant de Epilepſiâ ſympathicâ.

Nunc deveniamus ad curam idiopathicæ, diverſimodè inſtituenda eſt reſpectivè ad ſedem quam vitium occupat: uno ore conſentiunt medici incurabilem ferè ſemper eſſe; eventus tamen nos docuit ulcera ſponte aperta, vel cranii vulneribus ſuccedanea Epilepſiam profligaviſſe ut videre eſt hiſtoriâ quam recenſet *Marcellus Donatus* (2) obſervatione conſtat adhuc Epilepticos ex trepanatione multum levaminis recepiſſe; & quoſdam radicitùs fuiſſe curatos: juvenis domina hâc operatione repetitis vicibus inſtitutâ, ſuadente medico, ſanitatem recuperavit, ex quibus omnibus liquet vilipendendam non eſſe trepanationem, & inter auxilia curatoria ſuum locum mereri poſſe exiſtimamus.

Cùm morbus naſcitur ab excretionum ſuppreſſione nihil negligendum eſt ùt revocentur, pariter ſi ortum trahat ab affectuum cutaneorum retroceſſu, omninò eniti oportet ut materies noxia ad cutim transferatur, quod valdè eſt operoſum & ſæpe practicos occulatiores reddit anxios. De Epilepſiâ ſcabiei eruptione curatâ loquitur *Hoffmannus*, nonne tali exemplo incitatùs ejus inoculationem ſuadere poſſet medicus, huic opinioni lubenter aſſentiremur.

Si vitium proveniat à vaſis varicoſis, hydatibus, vel pravâ cerebri conformatione, ad curam palliativam confugiendum quæ conſiſtit in accuratâ obſervatione plurium de quibus inferiùs quæſtio erit.

Cauſas occaſionales avertere non ſufficit, ſupereſt ut emendemus & deleamus diatheſim Epilepticam ſive cauſam prædiſponentem,

---

(3) Compend. medicin. pract. cap. 14.

ad quem finem conducent antiepileptica propriè dicta quorum immenſus eſt numerus, univerſale tamen nondum reperitur, & quidquid dixerint empyrici, nullum adeſt ſpecificum eâ pari ratione etiam ut cortex peruvianus in febribus intermittentibus, vel mercurius in lue venereâ: primaria ſeligemus, miſſis pluribus quæ brevitatis causâ ſilentio prætermittimus, inter illa eminet radix Valerianæ ſylveſtris ſub formâ decocti, pulveris, vel extracti adhibita, folia aurantiorum valdè laudat *Laucherus*, aſſerens ſe quoſdam ægrotos illorum ope curaviſſe, vel ſaltem omnibus ſolatium attuliſſe, cinnabaris nativa, viſcus quercinum, & cortex peruvianus optimos effectus exhibent ſi convenienter uſurpentur radix pæoniæ, oleum animale dippelii, & pulvis è guttetâ licet à multis adhibeantur prædictis inferiora ſunt. Nonnulli moſehi uſum laudibus extollunt, pulchro cum ſucceſſu repetitis etiam vicibus octenni puellæ grana decem preſcripſit *Fredericus Hoffmannus*.

Inter omnia quæ ægrotis commendare debet medicus, vitæ regimen præſertim imperandum eſt, *Galenus* in eo magnam ſpem collocabat ut compertum habebit qui leget ſuam eximiam conſultationem pro puero Epileptico cibis facilis digeſtionis nutriendus eſt æger vitando alimenta quæ æſtum inducere valent, quæque ſanguinem ad caput, tranſvehunt. Vinum & liquores ardentes Epilepticis inimica ſunt, quoties doluerunt medici plures à vino abſtinuiſſe nolle, vel ejus potu nimio incurabiles evaſiſſe; aquam puram ſolùm haurire debent. Exercitia nervis robur conciliant, valdè que Epilepticis proſunt, modò ut nimis non protrahantur. Legitur enim mutationem domicilii & peregrinationes quoſdam Epilepticos ab inſultibus immunes ſervaviſſe, animi pathemata moderari maximi eſt momenti, hoc morbo correptis venus ſæpè noxia eſt, nam obſervatione conſttat plures animam efflaviſſe in amplexu venereo. *Aurelianus* illos monet, dum curentur, diù cavere debere ab omni vitio ſex rerum non naturalium, circumgyratione corporis & præcipitii adſpectu.

Quod curam paroxiſmi attinet ad ſequentia redit, ut plurimùm ſolis naturæ viribus committitur, obſervando ne ægroti lapſu vel colliſione caput lædant, quidam, dum vehemens adeſt dentium ſtrido aliquid molle intrà maxillas apponere ſuadent ne lingua dilaceretur vel morſu incidatur quod eveniſſe teſtantur Auctores. Membra convulſa nimiâ vi coercere ſæpiſſimè nocet; acria naribus admovere non convenit, ſi ſint fætida aliquid levamen afferre poſſunt in Epilepſia uterinâ. Dum à paroxiſmo reſurgunt torpentes ſpiritus recreare oportet aquis ſtillatitiis meliſſæ, florum aurant..... tinetura ſuccini quibus utiliter ſociantur cardiaca ſi valdè debilitentur. Si verò proteletur acceſſio, curationem eandem expoſcit ac eam quæ in affectibus ſoporoſis adhibetur.

&c quam etiam nonnulli antepilepticam propter illam [illegible] rumque eſt nominatum, univerſale tamen nondum repertum. Et quid-quid dixerint complures, nullum adeſt ſpecificum et, ſi ratione etiam ut cortex peruvianus in febribus intermittentibus, vel mercurius in lue venerea; præmiſſis ſubjungimus, multis pluribus [illegible] in præſcriptionibus, inter illa connumeratur Valeriana ſylveſtris ſuo loco deſcripta, pulvere, vel extracto adhibita; [illegible] valde laudat Lancberus, [illegible] quoſdam [illegible] vel falſo curatos ſolatium extollit; cuprum ammoniacum, viſcum quercinum. Et cortex peruvianus optimos effectus exhibuit ſi concomitanter aſſumeretur radix pæoniæ, [illegible] & pulvis è guttura licet à multis addi-[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] partim [illegible] Magiſterium.

Inter remedia quæ [illegible] debet medicus, victus [illegible] præcipuum [illegible] eſt, Galenus in eo [illegible] collocabat ut [illegible] qui [illegible] conſultationem [illegible] Epilepticus [illegible] ſtomachus [illegible] vitandi [illegible] valet, [illegible] [illegible] Vinum & liquores ardentes Epilepticis inimica ſunt, [illegible] medici plures à vino abſtinuiſſe [illegible], vel ejus [illegible] aquam puram ſolam haurire debent. [illegible] valdè quæ Epilepticis proſunt, modò [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ventrem. [illegible] [illegible] ab omni vitio [illegible] non naturalium, [illegible] corporis & præcipuis adipectis.

Quod curam paroxiſmi attinet ad ſuppetias ægri, ut plurimum [illegible] naturæ [illegible] committitur, [illegible] vel [illegible] caput [illegible] ſinè aliquid [illegible] ne lingua [illegible] vel morſu [illegible] quod eveniſſe teſtantur Auctores. Membra convulſa nimiâ vi coercere [illegible] [illegible] admovere non convenit. Si ſunt [illegible] aliquid [illegible] in Epilepſia uterina. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ſpiritus [illegible] aquis [illegible] [illegible] [illegible] tinctura [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]. Si verò protrahitur [illegible], curationem eandem exponit ac eam quæ in affectibus ſoporoſis adhibetur.